


IOANNES
M.





1.
2.
3.
4
5.
6
7.
8.
9.
10
11
12
13.
14
15
16.



1. De feudis Ecclesiasticis. P. J. H. Böhm. R. W. de Schep.
2. De jure et statu hominum propriorum a servis Germaniae non Romanis derivando, et de usu hujus doctrinae. P. J. H. Böhm. R. F. Schröter.
3. De jure retentionis ex diverso etiam causa competente. P. J. F. Ludovici. R. C. H. Hacke.
4. de mandato ad heredes transeunte ad L. 57. ff. de mand.; P. H. a' Cocceji. R. C. L. Förster.
5. De computatione graduum cognationis. H. Cocceji. R. A. H. Linde.
6. De jure Rofflinis. H. Cocceji. R. Dithmar in Rheden.
7. De jure et facto. P. H. Cocceji. R. J. W. Wallig.
8. De rebus merae facultatis. P. H. Cocceji. R. J. C. Zubrod.
9. De servitutibus naturalibus. P. H. Cocceji. R. J. D. Hörner.
10. De successione nepotum. P. Cocceji. R. A. H. a Mandelsloh.
11. De partibus sententiarum iudicum et arbitratorum. P. C. H. Horn. R. G. G. de Leibnitz.
12. de remissione tacita pignoris vel hypothecae per acceptionem chirographi novi aut fidei-juroris. P. Thomasi. R. F. Schröter.
13. De abusu mandatorum sine clausula. P. H. Cocceji. R. R. C. H. Homberg.
14. De fuga. P. H. Cocceji. R. J. D. Cöper.
15. De finibus b. fidei in praescriptionibus de jure canonico. P. H. Cocceji. R. J. C. Laurentij.
16. De conjugibus bona gratuita divertente. P. T. J. Reinhardt. R. C. J. Rothmahler.

17. De antidoto Pr. H. Coccej. R. P. de Mastricht.
18. De reductione ad arbitrium boni viri. Pr. H. Coccej. R. C. F. Jammann.
19. De herede fideiussorie occ. l. ult. C. de Evict. R. J. B. Thiesen. R. J. C. Hildebrand.
20. De renunciationibus et reservationibus filiarum illustrium. R. H. Coccej. R. J. P. Barthold.
21. De felonia Domini. J. G. Hartung. R. J. C. Pilaeij.
22. De dote omnium bonorum occas. l. 7. C. de jure dotum. M. J. A. Neuber.
23. De nominatore ad parochiam. Pr. Jos. Vet. Ludwig. R. J. A. Troemer.
24. De abusu insignium Principis. S. F. Willenberg. R. J. F. Hecker.
25. De Pacti reservativi efficacia. H. Hildebrand. R. C. M. Linck.
26. De Incendiis. R. J. P. Stevogt. R. L. A. Hamburger.
27. De jure Ministrorum exigendi a Principe domicilium. Pr. C. de Kunchausen. R. J. G. Boenigke.
28. De libertate staty Regi. R. H. Coccej. R. A. Cramfus.
29. De Regimine usurpatoris Rege ejecto. R. J. Coccej. R. J. W. de Schmettau.
30. De autoritate publica ad pignoris seu hypothecae publicae constitutionem necessaria. G. Schweder. R. B. Brang.
31. De jure collectandi non sives. H. Bodiny. R. J. G. Becker.
32. De solaris ou superficie praestando. Pr. P. Stevogt. R. J. A. Ducking.

31
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44



33. De negligentia Ministrorum Principem non obligan-
te. P. C. Wildvoys. R. H. C. Viethaler.
34. Quae sit genuina resolutio causae controversiae
circa causas eaheredationis liberorum.
P. H. de Couerj. R. P. C. Hugo.
35. De praerogativa. P. J. H. Meyer. R. J. W. Weiss.
36. De dispositione testamentaria in feudis P. J.
P. Streit. R. C. P. Amling.
37. De his quae in fraudem legis fiunt. P. J. P. Streit.
R. J. J. Schwartz.
38. De Tutoris datione P. M. Rhodig. R. J. G. Baro.
39. De exceptione moratoria. J. Busok.
40. De jure ^{circa} hereticos. P. H. Soccej. R. Carol. d'orville.
41. De silentio. P. J. C. Winter. R. H. J. Dynander. disp. 1. et 2.
42. De vero debitore sententia absoluto. P. H. Soccej.
R. H. D. Trutenig.
43. Charactero status Imperii. P. H. Soccej. R. F.
W. de Mühlen.
44. De successione fisci. J. D. Spielmann.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

DOCTRINA
FEBRIS
ASTIC
CANTINO
CARTO



70
Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
**SUCCESSIONE
NEPOTUM,**

EX DECRETO & AUTORITATE MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDI-
CÆ ORDINARIO, & PROF. PRIM.

Antea
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALA-
TINI, ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA
HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT. & JURIS
GENT. P.P. ORDIN. MERITISSIMO,

Domino Mæcenate & Promotore suo summè devenerando,

PRO FACULTATE
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
Ac PRIVILEGIA DOCTORALIA
ritè ac Solenniter consequendi,
Publico Eruditorum Examine submittit


In Auditorio Jctorum

ANDREAS HENRICUS à MANDELSLO,
Bremens. Saxo.

Ad D. XXVI. Junii, Anno Christi M. DC. XCVI.

Horis ante- & pomeridianis.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI



SECTIO I.

De

*Successione Nepotum, Filiô ante
Avum Mortuô.*

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| §. 1. 2. <i>Materia de Successione Nepotum satis involuta nec tractatu indigna est.</i> | §. 5. <i>Ut ab intestato, filio ante Avum mortuo.</i> |
| 3. <i>Voce Nepotum qui intelligantur.</i> | 6. 7. <i>Nepotes nunquam succedere nisi jure representationis.</i> |
| 4. <i>Ut succedant ex testamento. remisf.</i> | 8. 9. <i>Qualis representatio intelligatur.</i> |
| | 10. <i>De jure representationis in linea collateralis. remisf.</i> |

§. I.



Successiones Nepotum, aliis primô aspectu planæ, tritæ, vulgatæq; aliis contra, re penitus exploratâ, spinosæ, & intricatæ & propè apices juris videbuntur. Illi materiam hanc faciliorem & in vulgus notioerem quàm pro Disputatione Inaugurali; Hi difficiliorem & subtiliorem, quàm pro jure, quod usu receptum & observatu dignum videri possit, existimaturi sunt.

§. II. Cæterum, etsi plurimis ambiguitatibus fatiscat hoc Nepotum jus, scrupulisque haut parum involu-

A

volu-

volutum sit, non tamen eò minus sed hoc magis diligenti evolutione dignum videtur; & inprimis id omnî studiò ac contentione agendum, ut quicquid salebrarum in jure communi superest, inprimis explanetur. Tantum verò abest, rem ideò ab usu alieniorem videri, ut ipsa veteris juris mutatio & recepti ratio scrupulos au-
 xerit: qua in re si minoris quoque momenti quæstiones ambiguitati suæ non eximantur, sed negligantur, illico fluet totus juris contextus, & jus vagum, incertum ac arbitrarium, quod adeo reip. justitiæque noxium est, l. 7. §. 3. & 4. ff. de Orig. jur. efficietur.

§. III. Cum verò variò maximè jure succedant Nepotes, de singulis dispiciendum est; hoc saltem præmonitò, voce NEPOTUM hîc nos complecti Pronepotes quoque & ulteriores descendentes in infinitum. §. 2. vers. Idque. Inst. de Her. qua ab int.

§. IV. Primum itaque Nepotes succedunt ex testamento vel ab intestato: si ex testamento, communi testamentorum jure ut utantur, nec à Patre Avisque paternis præteriri possint, si filius non præcesferit, satis notum est. tot. tit. & ib. Dd. Instit. de Exh. lib. nec id nunc tractamus.

§. V. Ab Intestato verò Nepotes avo succedunt vel patre ante Avum mortuo, vel Avo præmortuo & patre ei superstite: de quo *Seç. seqv.* Patre ante avum mortuo quod succedant immediatè, & concurrant cum filiis cæterisque proximioris gradus in stirpes, juxta *Nov. 118. c. 1.* satis quoque perspectum est. Sed, cum & soli sunt Nepotes, & ab una stirpe omnes, videntur non jure repræsentationis, sed proprio succedere; idque plurimi sentiunt, inter quos est Dn. Struv. *Exerc. 38. th. 18.*

§. VI. Verùm rectius & accuratius dicetur, nunquam

quam Nepotes adscendentibus nisi jure repræsentationis succedere; etsi Avus non nisi unum filium præmortuum habuerit, & ex eo v. gr. tres nepotes supersint: nam id merè per accidens, ut loquuntur, fit, quod hi nepotes in capita succedant; nimirum non quòd proprio jure succedant, sed quòd una tantum stirps fuerit, in cujus locum æqualiter tres nepotes subeunt: non enim semper jure propriò succedunt, qui in capita, seu viriliter; uti cum unus filius & ex altero præmortuo unos nepos superest, uterque virilem & femislem capit, adeoq; in capita succedit; quos tamen jure repræsentationis succedere certum est. Atque ita in genere dicitur, nepotes succedere ingrediendo in locum patris sui: §. 6. *Inst. de Her. qua ab Intest. Nov. 118. c. 1. vers. Sic tamen.* Quemadmodum, cum ex duabus stirpibus vel filiis nepotes supersint, si numero pares sint, v. gr. ex singulis filiis tres, singuli virilem capiunt; si impares, ex uno tres puta, ex altero sex, illi quisq; unciam. hi fescunciam: l. 8. §. 8. ff. *de Inoff. test.* utroque tamen casu successionem jure repræsentationis fieri inter Dd. constat.

§. VII. Itaq; quod à solo numero filiorum & nepotum accidit, id non nisi accidentarium quid est, nec ipsam successionis rationem mutat: & quoties quidem in stirpes succeditur, id semper quidem jure repræsentationis fit; non autem cum in capita, semper jure propriò; & rursus, cum jure propriò succeditur, semper quidem in capita; *Nov. 118. c. 3. in fin.* non verò, cum in capita, semper jure propriò.

§. VIII. Observandum verò omninò est, qualis sit ista repræsentatio: non enim nepotes personam patris & jura ejus hereditaria repræsentant, sed gradum. Unde est, quòd quandoque filio quoque excluso nepotes

4 Sect. I. De successione Nepotum

succedant; ut infr. docebitur; quia scil. tum non respicitur jus quod personæ filii, sed quod gradui cohæret; hoc enim jus gradus per hanc exclusionem non fuit extinctum, sed persona filii ei exempta.

§. IX. Quò haut parum facit ratio juris repræsentationis; quæ ex ipso Jure Gentium hæc est; quòd hoc jure filiis in ipsa statim nativitate jus succedendi parentibus jam in eventum quæsitum sit, quod ipsum eodem jure in ipsorum descendentes in infinitum devolvitur, etsi filius præmortuus aut inde quoque (sub distinctione tamen quæ deinceps tradetur) exclusus fuerit; quod jus Gentium nunc non exequimur, sed supponimus.

§. X. In collateralis quoque linea nepotes repræsentationis jure quandoque uti constat; scil. quando 4. thiis suis, v. gr. patruis &c. succedunt cum defuncti parentibus & fratribus: *ex Nov. 118 c. 3. junct. Nov. 127. cap. 1.* Sed quousq; diu olim disceptatum, & decisio Cæsarea eam in rem desiderata fuit: qua deniq; an. 1529. sequutâ, & lege à Carolo V. in eam rem lata, non tamen scrupulus planè exemptus videtur: quin, ex ea rem longè minùs, quàm ex *d. Nov. 118. c. 3.* constare apparebit perpendiculari. Fundamentum rei est, quòd fratrum filii parem vel propiorem gradum non possint excludere, nisi jure repræsentationis, quod patet *ex d. c. 3. vers. Quandoquidem*: quo lis omnis sedatur: & Germanorum filii, licèt soli sint, concurrunt cum ascendentibus, contra Bachov. *vol. 2. Diss. 16. th. 4. G. & Frantz. Exerc. 8. qv. 8.* & reliquorum quoq; fratrum filii succedunt in stirpes quâdiu in eodem tertio gradu alii supersunt: tunc autem in capita, quando in eo gradu soli sunt. Verùm, cum hic nepotes non succedant Avo, etsi cum Avo id nunc mittimus.

SECTIO.

SECTIO II.

De

Successione Nepotum, filio tempore mortis Avi superstite.

SUMMARIA.

- | | |
|---|---|
| §. 1. Si filius Avo superstes fuerit, tres sunt casus distincti quibus succedunt Nepotes. | 9. Explicatio d. l. 34. |
| 2. PRIMUS, si filius non delata hereditate moritur, Nepos suus heres est. | 10. Applicatio ad Emancipatos. |
| 3. 4. Quando intelligatur delata. | 11. Differentia utriusq; casus filio præterito. |
| 5. ALTER, si filius moritur delatâ hereditate, Nepos succedit ut Extraneus. | 12. An Nepos bonorum possessionem petere possit filio abstinate vel ritè excluso? |
| 6. Utriusq; casus differentia filio abstinate. | 13. An eo præterito? ubi exponitur l. 3. §. 5. ff. de bonor. poss. contr. tabb. |
| 7. Vel filio excluso. | 14. De casu TERTIO, si agnita sit à filio hereditas. |
| 8. In casu l. 34. C. de inoff. test. nepotem omni auxilio juris destitutum fuisse. | 15. Edictum de conjung. cum Em. lib. hodie ab usu recessisse. |

§. I.

Nepotes, quos filius moriente avo præcedit, adhuc succedere avo possunt; sed tum tres sunt successionum casus, qui plurimum differunt. Aliter enim succedunt nepotes avo, cum filius moritur nondum delatâ hereditate; aliter, cum delatâ quidem, sed nondum agnitâ; aliter, cum agnitâ.

§. II. PRIMO casu, cum filius moritur ante delatam hereditatem, nepos suus heres perinde est, ac si filius

lius ante patrem mortuos fuisset, §. 2. *Inst. de Exher. lib.* fuitas enim inspicitur tempore delatæ hereditatis, ut qui tum proximus in familia est, suus heres sit. §. 7. *Inst. de Her. qua ab intest. l. 1. §. 8. ff. de Suis & leg.*

§. III. Delata autem hereditas regulariter quidem intelligitur tempore mortis; in ejus enim momento lex vel testator eam deferre vel offerre heredi videtur. §. 6. *Instit. de leg. Agn. succes. l. 138. princ. l. 193. ff. de Reg. jur. l. 54. ff. de Adq. her. & s.* Secus igitur, si testator non nisi sub conditione heredem scripserit; huic enim non defert hereditatem, nisi existente conditione. *l. 13. princ. ff. de Acqu. her. l. 6. princ. ff. de Inj. rupt.* Idemq; est, si alia ratione heres eo tempore acquirere nondū potuit; quod enim ipsa lex, vel ex lege testator heredi defert, hoc accipere equidem potest, atque adeò non potest dici heredi oblata vel delata hereditas, quæ nondum adiri vel acquiri ab eo potest, *l. 151. ff. de Verb. signif.*

§. IV. Hinc, si testatur cum testamento deceserit, sed quod ex postfacto rescinditur vel deseritur, heredi legitimo non est ante delata hereditas, quàm constat, testamentum aut rescisum aut desertum esse, & certum fit, neminem ex eo heredem esse *d. §. 7. de Her. qua ab Intest. d. §. 6. de Leg. ang. succ. d. l. 6. princ. ff. de Inj. rupt. l. 7. pr. ff. Si tabb. test. null. ext. und. lib. l. 4. ff. Und. leg.* Interim itaque ex tempore mortis heredi scripto, testamento postea deserto, delata fuit, non acceptata; postea rescisso, acceptata, non cum effectu delata.

§. V. ALTERO casu, cum filius moritur delatâ, at nondum agnitâ hereditate, nepos non succedit avo ut suus, sed hereditas filio delata in nepotum transmittitur jure fuitatis. *l. 8. C. de suis & leg. & tum succedit nepos avo ut extraneus, non ipsò jure, sed aditione, arg. §. 2. Inst. de Exher. lib.*

§. VI.

§. VI. Primo casu filius abstinere non potest hereditate Patris, cum nec acquirere eam possit, quippe nondum delatam: *l. 13. princ. l. 17. §. fin. l. 18. ff. de Adq. her. l. 1. §. 7. ff. de Success. ed. arg. l. 3. ff. de Reg. jur.* Alterò potest; per beneficium Prætoris. §. 2. *Inst. de her. qual.* Priore itaque casu nepos nihilominus succedet avo ceu suus heres *supr. th. 2.* altero neutiquam succedet: cum enim hereditate à filio non agnita nepos ex transmissione saltem succedere possit, *supr. th. 2.* non potest filius hereditatem, quam ipse sprevit & omisit, in nepotem transmittere: adeò ut nepos nec ex succesorio edicto bonorum possessionem, Unde liberi, petere possit: ex illo enim edicto, filio abstinate, vel intra annum non petente, proximè ordo legitimorum sequitur, *l. 1. §. 11. ff. de succ. ed. §. 2. Inst. de Bon. posses.* Nec in ordine, unde liberi, vocantur alii, quam sui, & quos inter suos Prætor connumerat, ut sunt emancipati, *d. §. 2. vers. Et primo.* Denique filio præcedente nepos nullò jure heres esse potest. *l. 6. princ. ff. de Inj. rupt. Nov 118. c. 1. vers. Sic tamen, Nec obstat l. 5. §. fin. ff. de Succ. ed. Vid. Sect. seq. inf.*

§. VII. Si verò filius testamento exclusus sit, iisdem rationibus dicendum videbatur, nepotem succedere non posse. Verùm & hîc distingvendum; si enim filius ille exclusus ante delatam hereditatem (v. gr. herede scripto adhuc deliberante) moritur, testamento deinde deserto, nepos proprio jure ab intestato, quippe tempore delatæ hereditatis suus heres, succedit. *l. 6. pr. l. 7. princ. ff. de Succ. ed. supr. th. 3. & 4.* Si verò eâ jam sibi delatâ defunctus est filius exclusus, nec nepos succedet, etsi testamentum deinde ab herede scripto destituatur, per rationes *supr. th. 6.* adductas.

§. VIII. At testamento non deserto sed scripto herede

8

Seç. II. De Successione Nepotum

rede postea adeunte, utroq; casu nepos quoq; exclusus, nec ullo remedio prospectum ipsi erat, nisi filius vivus querelam præparasset: *l. 6. §. fin. l. 7. ff. de Inoff. test. l. 6. C. de Inoff. testam.* firmato enim aditione testamento non possunt liberi ab Intestato succedere, nisi testamento rescisso per querelam inofficiosi: ea verò soli filio excluso, non heredibus ejus datur, nisi præparata. *dd. II.* Nec denique ea hujus causæ ratio est, ut restitutio in integrum dari possit.

§. IX. Non in vanum igitur, (ut plurimi putant) sed ex vero est, quod queritur Just. *in l. 34. C. cod.* omne adjutorium dereliquisse nepotem: constituitque adeo, ut, si filius exclusus ante moriatur, quam scriptus heres adierit, querela nepoti, atque ita hoc singulari casu heredi quoque competeret, *d. l. 34.* summâ æquitate, cum filius nondum adita hereditate nec querelam movere vel præparare, nec adeo quicquam imputari ei potuerit, sed liberi à jure naturâ sibi debito per moras heredis adversarii excluderentur. Si igitur heres jam adit filio moriente, ne hic, cum posset, querelam movit, jus commune durat, nec nepoti querela dabitur. Neq; movet textus *in l. 3. §. 5. ff. de Bon. poss. contr. tab.* ubi nepoti quoque querela datur: *vid. Seç. seq. in. f.*

§. X. Quæ de Suis diximus, ad Emancipatos quoq; referri suò modo possunt: etsi enim illi nunquam sint heredes ipsò jure seu Sui, sed aditione demum extranei heredes fiant hodieque; *Franzk. Exerc. 8. quest. 1.* tamen jure Prætorio, & post *Nov. 118.* jure quoq; civili pariter succedunt, etsi non pari modo. Itaque, ut natus ex Suis nepos vel ut Suis, vel ex transmissione jure suitatis succedit; ita ex emancipato filio natus, vel ut proximus, vel ex transmissione jure sangvinis: & proximus eodem

Filio tempore mortis Avi superstite.

dem tempore quo Suus, scil. delatæ hereditatis tempore requiritur. §. 6. *Inst. de leg. agn. succ. junct.* §. 7. *Inst. de Her. que ab intest.* Sed, cum emancipationes hodie rarissimæ sint, emancipatorum juribus non immoramur.

§. XI. Vidimus ut succedat Nepos, si filius ante hereditatem vel delatam vel agnitam moriatur, vel abstineat, vel testamento exclusus sit; Si verò à patre præteritus, eoque testamentum nullum fuerit, ipse filius heres ab intestato, *princ. Instit. eod.* & nepos filio, non avo succedit: Si verò filius ante immixtionem moriatur, nepos ex transmissione & adeundo; si ille abstinuerit, hic non succedit. *l. 17. ff. de Inj. rupt.* quæ satis plana sunt.

§. XII. Eodem modò Nepotes petere quoque possunt bonorum possessionem Avi. Et quanquam abstinate filio vel ritè excluso, nec Nepos bonorum possessionem ex successorio edicto habeat, *sup. th. 6. & 7.* si tamen filio competiit bonorum possessio, & antè decessit, quam eam petierit aut ab ea tempore exclusus fuerit, omnia ejus jura integra sunt Nepoti; de quo casu agit textus in *l. 5. §. fin. ff. si tab. test. null. ext. und. lib.*

§. XIII. Sed &, si filius præteritus decesserit bonorum possessione contra tabb. nondum petita, Nepos eandem petere potest, etsi Avus causam habuerit filium & ex eo nepotem excludendi. *l. 3. §. 5. ff. de Bon. poss. contr. tabb.* Quod quidem filio emancipato præterito dubium videri poterat, cum testamentum jure Civili subsistat, & rescindendum sit per bonorum possessionem contr. tabb. Sed nihilominus, imò magis admittendum esse nepotem dicitur in *d. l. 3. §. 5.* (quem textum loqui de filio præterito ante avum mortuo, argumento est, quod Nepoti exheredato querela indulgetur, quæ aliàs dari ei non posset) nepos enim filio præmortuo ex sua
B persona

persona & immediatè succedit, nec rescisio testamenti ipsi nocet, sed prodest, ut justo præteriti filio: & imputet sibi Avus, quòd filium & nepotem non exheredaverit, quò tamen casu culpa patris filio non noceret, sed propria hujus merita excutienda essent; quæ est sententia *d. l. 3. §. 5.*

§. XIV. TERTIO denique casu, si filius agnitâ jam hereditate deceserit, res evidens est, & Nepos non avo sed patri suo succedit, confusaque est Avi & patris hereditas: denique hæc filii, non nepotis successio est.

§. XV. Cæterum ex *l. 12. tabb.* nepos suus præferatur filio emancipato, cujus ex ea lege successio nulla fuit. Prætor verò eum vocavit, & emancipatos Suis comparavit; noluit tamen ita invertere istam legem, ut emancipatum suo præferret, sed, si filius emancipatus, & nepos ex eo in potestate avi sit, reliquit quidem nepoti hereditatem, sed cum eo filium ita conjunxit, ut is in eandem nepotis partem concurreret, *ex tit. de conjung. cum Em. lib.* Hodie verò filius ille nepoti ex senato indistinctè præfertur ex *Nov. 118. c. 1.* atque adeò omnis istius edicti usus evanuit.

SECTIO III.

De

Diversis harum Successionum effectibus.

SUMMARIA.

§. 1. Differentia XIV. nepotum | 2. Sui soli ipso jure acquirunt hereditatem. | 3. Etiam

3. Etiam

Successionum effectibus.

ii

- | | |
|--|--|
| 3. <i>Etiā furiosi &c.</i> | <i>tabb. secus in extraneis.</i> |
| 4. <i>Et si nesciunt de latam, vel qualiter.</i> | 8.9. <i>Quis in his tribus differentiis fit Extraneus?</i> |
| 5. <i>An probanda Immixtio? Neg. de jure: usu secus.</i> | 10. <i>Nepoti suo pupillariter substitui potest.</i> |
| 6. <i>Aliter transmittunt ac extranei: & de casu, quo Pater & filius simul mortui.</i> | 11. <i>Eo abstimente valent tabb. pupillares.</i> |
| 7. <i>Illi soli (α) rumpunt testamentum; (β) sub conditione institui non possunt. (γ) Dari solis illis potest querela vel bonorum possessio contr.</i> | 12. <i>Et tutela.</i> |
| | 13. <i>De Usucapione.</i> |
| | 14. <i>An Nepos, cui Avi & Patris defertur hereditas, alteram sine altera omittere possit?</i> |

§. I.

Dictum est *Sec. sup.* quid intersit, si filius ante Avum vel ante aut post de latam hereditatem, vel eam jam aditam moriatur. Cum itaque his casibus aliquando Nepos ut Suus, aliquando ut extraneus Avo succedat, porro videndum, quid, & an plurimum id referat, dignaque ea res sit, quæ diligentius tractetur? Et referre id maxime, patebit ex sequentibus.

§. II. Et quidem (I.) constat, nepotem, si ut extraneus succedit, aditione demum & declarata voluntate sua acquirere hereditatem; si ut Suus, ipso jure absque ullo facto suo fieri heredem. *l. 14. ff. de suis & leg.*

§. III. Atque hinc (II.) Nepotem, etiam ignorantem, quin invitum, imò & infantem, furiosum, mutum ac surdum ita natum, prodigum &c. sine ullo Tutorum Curatorumque consensu acquirere hereditatem, & obligari ejus oneribus, §. 2. *Inst. de Her. qual.* §. 3. *Inst. de Her. qua ab int.* l. 63. *ff. de acq. her.* l. ult. §. 2. *C. de Cur. fur.* Si

B 2

verò



verò Nepos ut extraneus succedat, omnia contrâ. *l. 8. l. 49. ff. de Acq. her. & c.*

§. IV. Hinc (III.) Extraneus acquirere hereditatem nec ex testamento valido potest, si putet irritum, *l. 22. l. 32. §. fin. ff. eod.* nec mortuo testatore, si putet eum vivere, *l. 13. §. 1. l. 19. l. 32. princ. ff. eod.* nec existente conditione, si nesciat extitisse, *l. 32. §. 1. l. 34. §. 1. ff. eod.* vel ignoret conditionem, sub qua scriptus est, *l. 21. §. fin. ff. eod.* aut saltem de his ac similibus dubitet, *l. 33. §. seqq. ff. eod.* At si Nepos ut suus heres succedit, his omnibus non obstantibus heres erit & hereditatem acquirat. *arg. d. §. 2. Inst. de Her. qual. l. 21. §. fin. ff. eod.*

§. V. (IV.) Aditio extranei probanda est à Creditoribus vel legatariis: *arg. l. 16. l. 23. C. de Probat.* Sui heredis immixtio non est: idque de jure communi verissimum existimamus. Nam (1.) cum Suus heres ipsò jure & sine facto suo heres fiat, etsi rejicere hoc jus possit, utique non illud probari debet, quod juris est, scilicet eum heredem esse factum; sed hoc quod facti est, eum abjecisse jus suum lege quæsitum. Atque adeò (2.) non videtur defendi posse, quod Dd. comm. supponunt, immixtionem facti esse, & ideò probari debere: nam jure semel quæsitò & constituto, dicendum contrâ, ejus abjectionem facti, & probandam esse. Nam & (3.) si fortè non constet, Dominum rebus ac juribus suis usum esse non, tamen illa derelicta vel amissa ideò videbuntur, quod usus & possessio facti sint & probari debeant; sed contrâ, jure semel quæsitò certum est, quod ejus derelictio vel omisio probanda sit. *arg. §. 12. vers. naturalem. junct. §. 13. Inst. de Rer. div.* Et (4.) cum Suus heres vivò Patre quodammodo jam Dominus esse, & magis continuare dominium intelligatur, *l. 11. ff. de Lib. & post.* non
magis

magis hæc continuatio, quàm Dominis domini rerum suarum continuatio probanda est. Neque verò (5.) beneficium Prætoris, quod Suis datum est, in immiscendo, sed abstinendo consistit; neque illis potestas immiscendi, quam ex ipsa lege habent, sed abstinendi à Præatore data est. Non itaque an se immiscuerint, sed an abstinnerint quæritur & probandum est. Et cum (6.) qui sui & ipsò jure heredes sunt, nihil allegare possint, nec aliare se tueri, quàm quòd usifint beneficiò Prætoris, id est, jure abstinendi; utique is, qui se singulari beneficio contra jus commune usum dicit, id probare debet. Quemadmodum (7.) Heres, qui adiit, sanè non auditur, si dicat se non nisi cum beneficio inventarii adivisse hereditatem, nisi id probaverit. Sed & (8.) id omninò manifestum est ex *l. 57. princ. ff. de adq. her.* ubi dicitur, quòd Sui heredes *Jure Civili teneantur Creditoribus:* atqui obligatio est effectus imixtionis, nec tenetur Suis heres, nisi qui se imiscet. Lege ergò Civili quoq; Suis heres creditoribus tenetur, adeoq; intelligitur se imiscuisse, atque ex eo jure creditores fundatam, ut ajunt, habent intentionem, quoad probetur voluntas abstinendi. Atque inde (9.) *ind. l. 57. princ.* non requiritur, ut voluntas immiscendi, sed ut voluntas derelinquendi declaretur; quæ proinde declaratio necessaria, & induciè facti, atque adeò probanda est. Difficile itaque est, contra jus tam evidens admittere communem, ut sanè videtur, errorem in contrarium. Verùm cum unanimiter ferè in id consentiant Dd & variis præjudiciis frequenter in eam sententiam itum fit, vid. *Tiraq. tract. le mort. saisit le vis. p. 7. decl. 2. n. 8. Gail. 2. Obs. 128. per. tot. Moller. semestr. lib. 4. cap. 39. Carpz. lib. 6. Resp. 64. n. 5. & 6. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 34. thes. 22. Mev. p. 4. dec. 144. num. 4. & seqq.*



Brunn. in l. 1. n. 2. C. Si min. ab her. (quanquam *Tiraquell. d. 1. & Anton. Fab. in C. lib. 6. tit. 12. def. 3.* præjudicio quoque allegato variè distinguant) dicemus hanc juris differentiam inter aditionem & immixtionem, seu inter Extraneos & Suos, in hoc articulo usu fori sublatam esse.

§. VI. (5.) Insignis verò differentia est, quòd nepos, delatâ, non agnitâ hereditate mortuus, eam, si ut Suus heres succedit, ad omnes heredes, etiam testamentarios, transmittat; *l. 9. §. 4. ff. de Reb. dub. l. 8. C. de Suis & leg.* si ut extraneus, tantum ad descendentes. *l. un. C. de His, qui ante ap. tab.* Unde eadem distinctio est, si Avus nepotem puberem instituit, & uterque naufragio v. g. simul periit; cum enim pubes supervixisse credatur avo seni, delata est ei hereditas, quam pro qualitate Sui vel extranei transmittit: at si nepos iste impubes sit, videtur prior perisse; non delata itaque ipsi hereditas transmitti nequit. *d. §. 4.*

§. VII. (6.) Item alia, quòd Nepos extraneus, si præteritus vel non rite exheredatus sit, non rumpat testamentum; rumpat verò Suus: *l. 6. princ. ff. de Injust. rupt.* (7.) Quòd ille sub qualibet conditione institui possit, & ita institutus non rumpat testamentum; Hic non nisi sub potestativa, & alias pro præterito habeatur, *l. 1. §. 8. ff. de Suis & leg.* Atque hinc (8.) extraneo nunquam competit querela inofficiosi, (nisi in casu *l. 34. C. de Inoff. testam. supr. thes.*) vel bonorum possessio contra tabb. quia præteriri potest; Suo semper. *§. 2. Inst. de Exh. lib.*

§. VIII. Cæterum ab his tribus differentiis excipiendus est nepos emancipatus; ille enim, modò proximus sit, primum à Præatore, *§. 3. Instit. eod.* deinde jure quoque civili, *per Nov. 118. c. 1.* suis hæctenus comparatus

ratus est, ut ei excluso vel præterito eadem remedia hodie competant quæ Suis.

§. IX. In his itaque tribus casibus verbô Nepotis extranei comprehendimus (1) Nepotem, qui in Avi potestate quidem est, verum non proximus, adeoque non suus, cum filius præcedat. *d. §. 2.* (2.) Nepotem emancipatum, quem filius præcedit, nam ille suo non comparatur, sed proximus: ut notum.

§. X. (10.) Si Nepoti pupillariter substituit Avus, uti ex lege Velleja potest, *l. 2. princ. ff. de vulg. subst.* evanescit substitutio cum nepos, ut extraneus, scil. delata jam filio hereditate, succedit; non autem, cum ante, adeoque ut suus; cum ita substitui non possit nisi suo. *d. l. 2. princ.*

§. XI. Cui (11.) consequens est, ut, licet Nepote hoc abstinente, desertoque Avi testamento, subsistant tamen tabulæ pupillares, quas confirmat nuda Sui heredis existentia: *l. 41. l. 42. ff. de Adq. her. l. 12. ff. de Vulg. subst. l. 28. ff. de Reb. aut. jud.* cum contra, si nepos delata jam filio hereditate ex sola transmissione, adeoque ut extraneus vocetur, hoc ipsô deficiat pupilli testamentum, nedum deserto testamento Avi.

§. XII. (12.) Idemque juris & eadem differentia est in Tutela, quæ valet destituto quoque Avi testamento si Nepos suus saltem existat, etsi abstineat. *l. 1. §. 1. ff. de Confirm. tut.*

§ XIII. Quin & (13.) si Nepotes sui existant, usucapi nihil pro herede potest, *l. 2. C. pro her.* secus si extranei. *d. l. 2.*

§. XIV. Ex hac denique diversitate (14.) deciditur involuta satis quæstio, An nepos, cui utraque hereditas, Avi & patris, defertur, alteram absque altera
omit-

omittere possit? Nam filius, (seu nepotis pater) decidit vel (1.) hereditate avi nondum ei delatâ: & nepos cum patri tum avo suus heres est, adeoque alterâ agnitâ alterâ abstinere adhuc potest. *sup. sect. 2.* Vel (2.) eâ jam delatâ: & cum delatione ipsô jure confusa sit utriusque hereditas, jure civili non nisi utraque agnosci vel utraque omitti potest; *l. fin. C. und. lib.* at jure Prætoriô non videtur confusa, nisi immixtione; unde nepotem alterâ agnitâ alterius nomine bonorum saltem possessionem petere nihil impedit. *d. l. fin. Conf. Cujac. lib. 4. observ. 6. Franzk. Exerc. 8. qv. 3.* Vel denique (3.) eâ quoque agnitâ: tum verò plenissimè mixta ac confusa est utriusque hereditas & separari amplius nequit, nec Nepos alteram absque altera ullo jure acquirere potest vel omittere.

SECTIO IV.

De

Nepote post Mortem Avi
concepto.

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>§. 1. Nepos mortuo Avo conceptus non videtur Avo cognatus.</p> <p>2, 3. Demonstratur rationibus eum Avi immediatum heredem esse non posse.</p> <p>4. Idem legibus.</p> <p>5. Medio filio avi intestati heres est jure transmissionis.</p> | <p>6. Testamento autem factô, etsi post mortem filii desertô, nullo modo, & nec jure transmissionis avi heres est.</p> <p>7. Nec jure representationis.</p> <p>8. Nec eô jure, quô nepos, si tempore deserti testamenti proximus est, suus heres Avo existit.</p> |
|--|---|

9. Nec

9. Nec aliò jure etiam mediato; sed cognatus Avi quoad suc-
cessionem non dicitur, nisi abusive.

ipfi succurri ex l. 34. C. de Inoff. test. Multò magis ergò, si heres scriptus deserit.

10. Verum, si heres scriptus adit,

§. I.

Mirum videri potest, quòd Imp. ait, hunc nepotem mortuo Avo conceptum, non modò non Suum, sed nec cognatum esse, quin nullò jure cognationis patrem patris sui attingere; adeo ut nec bonorum possessionem quasi proximus cognatus petere possit. §. 8. Inst. de Her. qua ab int. l. 6. princ. ff. de Injust. rupt. l. 1. §. 8. l. 6. l. 7. l. 8. ff. de Suis & leg.

§. II. Idque vel inde ostenditur. nam aliàs in casu d. §. 8. totò tempore inter mortem avi & conceptionem nepotis, hereditas nullius fuisset, nec ulli hominum ab intestato delata: Non filio, qui testamento exclusus & tempore deserti ab herede scripto testamenti jam mortuus, adeoque quò tempore hereditas defertur, non amplius in rebus humanis, nedum Suus fuit, cui soli hoc casu defertur. Non nepoti huic, qui intra hoc tempus neque in utero, neque in rerum natura fuit, adeoque ei ne quidem ex fictione, quà qui in utero est pro jam nato habetur, delata hereditas videri potest, cum de tempore quærat, quo nondum conceptus nec in utero fuit: fictio autem ea tantum pertineat ad eos, qui in utero sunt. l. 7. l. pen. ff. de Stat. hom. l. 30. §. 1. ff. de Adq. her. l. 2. §. 6. ff. de Excus. tut. l. 7. ff. de Vent. in poss. mitt. & interminis nostris, l. 7. ff. de Suis & leg. in quibus omnibus requiritur ut in utero vel conceptus sit is, qui pro nato habendus est.

§. III. Et, cum quilibet heres, quandocunque ad-
eundo

E

idit
um
al-
de-
he-
que
vi-
erâ
em
b. 6.
itâ:
ne-
am
re.

et se
ul-
ns-
fi
nti
A-

Nec



eundo hereditatem, jam tunc à morte successisse defuncto intelligatur, ut dicitur in *l. 54. ff. de Adq. her.* & momenta aditionis ac mortis ita continuentur, ut semper à morte retro heres, & defunctus nunquam sine herede fuisse censeatur, *l. 138. pr. l. 193. ff. de Reg. jur. Wissemb. ad d. l. 138. th. 1.* non potest equidem hic nepos jam tum, cum in utero nondum fuit, successisse defuncto, & ante heres quam conceptus, videri. Nam is quidem, qui in utero jam est, & nasciturus speratur, natus quidem & heres fingitur, is verò, qui plane in rerum natura, & ne in utero quidem est, nullâ fictione heres vel natus intelligitur. *per th. 2.*

§. IV. Certum itaque est, de jure succedendi immediato verissimum esse, quod traditur, hunc nepotem avo neque ut Suum, & ne quidem ex edicto, Unde Cognati, nedum Unde liberi, succedere posse. Nam ita in *l. 6. & 7. ff. de Suis & leg.* dicitur; *Lex 12. tabb. eum vocat ad hereditatem, qui moriente eo de cujus bonis quaritur, in rerum natura, vel saltem vivo eo conceptus fuerit:* Et in *l. 8. princ. eod.* pergit: *Prator edicto suo proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur his, qui defuncto tempore mortis cognati fuerint.* Tum additur: hunc nepotem avo non propriè sed per abusum, vel potius ἀναφορῶς cognatum dici.

§. V. Hoc, inquam, cum de immediato jure certum sit, videamus, An & quousque medio filio nepoti huic jus avitæ hereditatis salvum fieri possit? Et quidem, Avo intestato mortuo res plana est; nam hereditas filio superstiti delata jure suavitatis transmittitur ad omnes ejus heredes, adeoque longe magis ad hunc nepotem. *l. 1. §. 8. ff. de Suis & leg.* Ita hætenus ex jure transmissionis ipsi cautum fatis est.

§. VI. Ve-

§. VI. Verum, si Avus testamento facto filium exclusit, & filius, antequam scriptus heres adiret vel testamentum desereret, obiit, uti in casu §. 8. *Inst. de Her. qua ab int.* plusculum dubitationis est, an & quo jure nepos admittatur? Equidem à jure transmissionis nihil ipsi præsidii esse indubium est; cum enim filio hereditas Avi delata non fuerit, non potuit ab ipso in nepotem, etsi vivo Avo conceptum, nedum in hunc transmitti. *l. 9. §. 4. ff. de Reb. dub. l. 8. C. de Suis & leg. l. 34. C. de Inoff. testam.*

§. VII. Sed nec jure repræsentationis tueri se nepos poterit: quia pater, quem repræsentat, testamento exclusus, nec ei vivo unquam delata fuit: nihil itaque ex ejus persona ad nepotem devolvi, nec nepos per repræsentationem filii, in hujus portionem, qui ipse eâ exclusus fuit, succedere potest. *arg. §. 6. Inst. de Her. qua ab int.* Constat præterea, quod nepotes, qui jure repræsentationis utuntur, unà cum filiis & eodem jure quò filii, adeoque, si pater eorum in potestate avi fuerit, ut sui succedant: §. 2. §. 6. *cod.* Nepos verò iste post avum conceptus ut suus succedere nequit; §. 8. *cod. l. 6. de suis & leg.* adeoque nec jure repræsentationis potest. Et sanè, si omni auxiliò destitutus fuit nepos vivo avo conceptus in casu *l. 34. C. de Inoff. test.* nedum hic, qui mortuò avo conceptus, eique ne quidem cognatus est. *d. §. 8. de Her. qua ab intest.*

§. VIII. Denique, nec eò jure uti nepos iste potest, quod indulsimus nepoti vivò Avò concepto, quem filius exclusus præcesit, eoque mortuo testamentum desertum fuit: ille enim nepos succedit ut Suus, quia tempore delatæ hereditatis, seu quo certum est Avum intestatum decessisse, ille verè Suus est: uti præclare probat



bat Papin. in l. 7. ff. Und. lib. at Nepos avo mortuo conceptus suus esse nequit. d. l. 6. d. §. 8.

§. IX. De hoc itaque nepotis post Avum concepti casu idem, & magis dicendum videtur, quod Imp. in l. 34. C. de Inoff. test. ait, omne adiutorium hunc nepotem dereliquisse. Et id sane discrete satis & generaliter traditur in §. 8. Inst. de Her. que ab int. quod Avo neque jure civili neque Prætorio succedere nepos iste possit. Quod idem apertissime quoque docetur in l. 6. l. 8. ff. de Suis & leg. adeo ut hic nepos ne quidem cognatus Avi quoad successionem habeatur, sed tantum vulgò abusive ita dicatur. d. l. 8. Ut adeo certum sit, si ne quidem cognatus est Avo, ei ipsum succedere ab intest. non posse.

§. X. Unicum itaque superest: ut videamus, an ne nepoti huic, cujus pater, dum deliberat scriptus heres, decessit, applicari possit singulare remedium d. l. 34. C. de Inoff. testam. Et duo casus sunt, de quibus queritur, (1.) Si heres scriptus mortuo filio adeat hereditatem: qui est ipse casus d. l. 34. ubi querela, quam filius non potuit ideò movere, quia heres nondum adiit, datur nepoti, etsi illa heredi non competat l. 6. C. eod. Hoc proinde merito huic quoque nepoti conceditur, ut querelam, quam pater, nullâ suâ sed heredis morâ, movere non potuit, ipse possit: tum quoniam textus generalis de omni nepote loquitur; tum quia hoc casu nepos non avo succedit, sed Patri suo in querela; patri autem suo æque Suis est, five vivo five mortuo avo conceptus sit: eademque planè ratio est, quòd nihil patri, qui querelam movere non potuit, sed adversarii heredis moræ solum imputari id possit.

§. XI. (2.) Alter contrâ casus est; si heres scriptus mortuo filio repudiet hereditatem, & testamentum destituat.

tuat. Etsi verò hæc species non contineatur *d. l. 34.* quod si-
 tamen nepos hic admittitur, juxta *d. l.* cum heres scri-
 ptus adiit, non potest utique repelli, cum heres scriptus
 repudiat; nec ei hereditas ab intestato denegari cum
 testamentum nullum & desertum est, quæ conceditur,
 cum testamentum aditione confirmatum ei obstat: ni-
 misque absurdum esset testamentum validum in favo-
 rem nepotis, ut succedere ille possit, rescindere, & he-
 redi scripto jus inde quæsitum auferre; cum verò nul-
 lum testamentum, nullusq; alius heres scriptus est, eum
 à successione repellere. Igitur, uti aditâ hereditate in
d. l. 34. nepoti datur querela, quam pater habiturus fu-
 isset & quâ ille per moram scripti heredis exclusus fuit,
 & rescisso deinde testamento petitio hereditatis; ita re-
 pudiatâ hereditate & deserto ipsò jure testamento, ne-
 poti non minus sed fortiori ratione dari debet ipsa peti-
 tio hereditatis, quam pater habuisset, nisi heres repu-
 diandi moram fecisset: cum hîc nec opus sit testamenti
 rescissione, quam in specie *d. l. 34.* fieri necessum est.

SECTIO V.

De

*Successione Nepotis, filio sub con-
 ditione potestativa instituto.*

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>§. 1. Testamentum, in quo fili-
 us sub conditione potestativa
 scriptus est, valet, etsi filius
 non parendo conditioni exci-
 dat hereditate paterna.</p> | <p>2. Si filius viduus se declaret, se
 non pariturum conditioni,
 quis & quando nepos succe-
 dat?</p> |
| <p>C 3</p> | <p>3. Si sine declaratione decedat,
 dubium</p> |



22 Sect. V. De Successione

- dubium est, vivo an mortuo illo conditio defecerit: Et quid intersit ratione nepotis?
4. Causa dubii in momento mortis fita est.
 5. Hoc ut deciderit Papin. cum filius substitutos vel coheredes non habet.
 6. Quid juris, si habeat? ubi alia differentia insignis.
 7. Si conditio talis initio sit, ut

Nepotis, filio sub conditione fortuitis casibus impedire possit, est casualis.

8. Si initio potestativa, sed quam casus superveniens impedit, habetur pro impleta, si per filium non stetit.
9. Secus esse, si per eum stetit: Et quid tum juris.
10. Nepotes his casibus non admitti.

§. I.

Alia Nepotum successio sequitur, superioribus intricatior, nunc quoque enodanda. Scilicet cum avus filium suum sub potestativa (quam voce cum vulgo uti nunc liceat) conditione instituit. Nec dubium est, quin valeat institutio ac testamentum, non modo si filius conditioni pareat, sed & si eam non impleat, eoque excidat forte hereditate: cum res in arbitrio ejus posita sit, & ipse ommittere hereditatem patris, si velit, potest, non modo jure Prætorio, l. 57. princ. de Adq. her. sed hoc casu, ubi sub potestativa conditione scriptus eoque voluntarius heres factus est, etiam jure civili l. 86. ff. de Her. inst. l. 12. ff. de Cond. Et dem. Atque sic suam culpam amittit paternam hereditatem, ut dicitur in l. 2 ff. Unde lib. & suo facto eam omittit, ut potest. l. 17. ff. de Injust. rupt. Non itaque hereditatem patris non capit quasi præteritus sit aliquo casu, cum acquirendi jus & potentia in omnem casum ei data sit; sed quia sua sponte ipse hereditate patris abstinet.

§. II. Cum itaque, filio sub tali conditione scripto, institutio & ex ea testamentum omnino subsistat, quaeritur



ritur, ad quem illa hereditas, quam filius non parendo amittit, & num ad Nepotem perveniat? Ubi varii casus discernendi sunt. (1.) Si filius vivus declaravit animum non implendi, atque adeo eo vivo defecit conditio, portio ejus vel ad coheredes pertinet jure accrescendi, vel si sint, ad substitutos; & illi quidem statim succedunt, non expectatâ declaratione filii, quia testamentum, in quo scripti sunt, subsistit, & secutâ eâ, portio filii quoque iis accrescit; at hi non possunt nisi declaratione filii secutâ. *l. 4. in princ. ff. de Her. inst.* Si verò nulli sunt coheredes vel substituti, sed filius heres est ex asse, deserto testamento succedunt heredes legitimi ab intestato, & inter eos primum omnium ipse filius, qui testamentum destituit. *l. fin. ff. de Cond. inst. arg. l. 19. ff. de Inoff. test.* & sic demum post filium nepos.

§. III (2.) Si autem filius nullâ declaratione factâ defecerit, defecit equidem conditio, cui filius non paruit, & jam certum est, amplius pareri non posse: Sed quaeritur, quando defecerit, vivo an mortuo filio? Plurimum enim interest. Si vivo, ipse filius ab intestato heres factus est; Si mortuo, Nepos avo: quia, quo tempore certum est, desertum esse avi testamentum, eumque intestatum decessisse, nepos avo suus & proximus est: §. 7. *Inst. de Her. qua ab int.* adeoque is tum immediate avo non patri suo succedit. Priore igitur casu nepos patri soli; confusâ ejus & avi hereditate; altero, avo ac patri separatim succedit, geminaque hereditas est. Magni verò interest, una an duplex sit hereditas; ejusque vis ac utilitas plurima est in alterutra omittenda, ære alieno, jure separationis, detractionibus quartarum, & in omni prope jure succedendi.

§. IV. Causa verò ambigui juris, vivo an mortuo filio

tione
pos-uam
edit,
er fi-

etit:

ad-

in-

vus

lgo

est,

si fi-

que

lita

est,

noc

vo-

de

ttit

suo

n

tus

em

pa-

to,

æ-

tur

24 *Secl. V. De Successione Nepotis, filio sub conditione*
filio defecerit conditio, est, quia in ipso mortis & vitæ
confinio defecit; scil. in momento quo filius moritur:
In illo enim momento certum esse cœpit, non paruisse
filium conditioni, defertumque avi testamentum: illud
autem momentum vitæ an morti tribuendum antiqua
disceptatio est, & pro favore causarum variè decita:
cum semper Jctis maximè curæ fuerit, ne jus incertum
& voluntarium, id est, *non jus* quasi fieret, in finibus
temporum, ætatum, vitæ, &c. momenta quoque con-
stituere & nec minima negligere.

§. V. Magno autem iudicio rem definivisse viden-
tur Jcti Romani, & præ cæteris Papinianus, distin-
guendo; an conditio in momento moriendi adhuc im-
pleri potuerit, v. g. *si 100. dederit*, quæ tum per alium
quoque dari poterunt: & conditio non defecit nisi eo
mortuo, cum adhuc pareri ei in ultimo vitæ momento
potuerit: adeoq; nepos, non filius, tum avi heres existit.
An verò in isto articulo non potuerit impleri, v. g. *si*
Capitolium ascenderit: & tum conditio jam eo vivo de-
fecit, cum jam tum certum esse cœperit, non esse pari-
tum conditioni, atque eo casu ipse filius avo heres est, &
nepos filio: uti id decisum in *l. fin ff. de Cond. inst. & in l.*
5. ff. de Her. inst.

§. VI. Cæterum utroque casu secus est, si filius
ille coheredes vel substitutos habuit; illi enim priore
casu filium, posteriore nepotem quidem excludunt, *l. 4.*
princ. & §. fin. ff. cod. sed notabili iterum differentiâ, quæ
ex dictis sequitur: nam priore casu coheredes & sub-
stituti obtinebunt quidem ex testamento hereditatem
contra filium, quippe propriâ voluntate abstantem;
eoque nec nepos succedet præcedente filio, *l. 34. in fin. C.*
de Inoff. test. at posteriore casu non obtinebunt contra
nepo-

nepotem, qui tempore deserti testamenti avo suus heres existens, rumpit testamentum in quo præteritus est. §. 2. *Inst. de Exher. lib.* Etsi autem filius quoque videri possit obtinere debere, quia ab altero gradu præteritus est, id tamen nihil mutare hoc casu, perspicue probat Jus in *l. 5. ff. de Her. inst.*

§. VII. In difficili verò adhuc est, cum filio sub potestativa conditione instituto, supervenerit casus, qui impedit, quo minus impleatur, quæ sit successio? Et tum fieri casualem, adeoque filium pro præterito haberi atque ipsum eundem ab intestato succedere, tradit Brunnem. in *l. 4. n. 4. C. de Inst. & subst.* adeoque nepotem non nisi filio. Idque verum planè est, si ab initio ea sit natura conditionis, ut fortuitis, non voluntariis casibus impediri possit: uti definitum est in *d. l. 4.* quod facti est, & variè accidere potest. *l. 4. §. 1. ff. de Her. inst.* Ita conditio, *Si Titius Romam iverit*, casualis erit, si trans mare fuerit; potestativa, si ultra lapidem forte non absit. *d. l. 4. §. 1. ff. de Her. inst.*

§. VIII. Verum, etsi ab initio sit potestativa, adhuc casu superveniente impediri poterit: uti Conditio, *Si in Capitolium ascenderit*, indubiè pro potestativa habetur, *l. 3. ff. de Legat. 2.* & tamen accidere potest ne possit; ut, si in vinculis, æger, ab hoste captus, Capitolium ab hoste occupatum sit, &c. An igitur, tum conditio casualis erit? Non videtur: ita enim vix ullum factum esset in potestate, ut impediri nullò casu posset, adeoque vix ulla conditio potestativa fuerit. Dicemus igitur potius, esse potestativam, nec fieri casualem, adeoque nec vitari institutionem filii; sed haberi eam pro impleta, si filius paratus sit parère, nec per eum stet, sed casu impediatur: uti & aliàs ea regula in potestativis obtinet. *l. 39. l. 161. ff. de Reg. Jur. &c.*

D

§. IX.



§. IX. Quodsi verò per eum hæc. stetit, & ipse, cum posset, non paruit, cessat memorata regula, & si rationem juris sequimur, filius propriâ suâ culpâ hereditatem ex testamento perdit, perinde uti cum tempore excluditur. *per l. 2. ff. Und. lib. l. 41. §. 12. ff. de Fideic. lib.* Nisi dicatur, hoc ipsum impedimentum, quod potestativæ supervenire potest, esse onus aliquod, quod pro rata legitimæ detrahendum est, ex *l. 32. C. de Inoff. testam.* quod verius. Id verò, quod D.D. communiter dicunt, filio sub qualibet conditione scripto, detrahi conditionem legitimæ, ut onus, vid. Brunne-
mann. *in l. 4. num. 6. C. de Inst. & subst.* dudum hodie explosum, eoque nihil absurdius est; cum non detrahatur onus nisi in testamento quod olim querelâ inofficiosi impugnari potuit, adeoque ritè factum fuit, ut exertè dicitur in *d. l. 32. arg. l. 2. ff. de Inoff. test.* hoc autem testamentum, in quo filius à Patre præteritus intelligitur, indubie nullum esse nec unquam querelam in eo locum habuisse constat. Et hæc sententia veterum communi propè calculo probata est. *Clar. §. Testamentum. qv. 39.*

§. X. His casibus itaque filio excluso, nepos quoque succedere nequit, filio præcedente: adeò, ut, si filius quoque præteritus abstineat, nec testamentum impugnet, qui in eo scripti sunt succedant, non nepos. *l. 17. ff. de Inj. rupt. l. 34. in fin. C. de Inoff. test. l. 7. princ. ff. Und. lib.*

SECTIO VI.

De

Reliquis Successionibus Nepotum.

SUM-

SUMMARIA.

- | | |
|---------------------------------|---------------------------------|
| §. 1. Nepotem ex primogenito | 5. Secus esse jure Gentium. |
| preferri filio alteri in jure | 6. Plurimum inde distant legi- |
| primogenitura inter gentes | timati per subsequ. matri- |
| constat. | monium. |
| 2. Cur Henrico IV. lis mota. | 7. Quid si gemini nati, vel ex- |
| 3. Nepos etiam patre mortuo le- | acti, & nesciatur quis prior? |
| gitimari potest per nuptias | 8. Ut succedant Nepotes in feu- |
| avi; | dis, fideicommissis, tutelis? |
| 4. Etsi alia uxor intermedia | 9. Ut in jure retractus? |
| ducta, indeq. liberi fuerint. | 10. Consecratis. |

§. I.

Reliqua, de Nepotum successionibus jura prolixè exponi possent, sed, cum perspicua ferè sint, in pauca conferemus. In jure Primogenituræ itaque, an nepos ex filio primogenito, ante dignitatem adeptam mortuo, præferatur alteri avi filio, vetus quæstio fuit, sed quæ omni dubio omninò caret: præfertur enim utique nepos sive de jure naturæ quæritur, sive de placitis gentium: idque inter gentes, nisi specialiter alia successio recepta sit, & in imperio ipso constat. Etsi verò à quibusdam olim mota lis nepotibus fuerit, tamen & rarò & ab illis id factum, qui turbare quam lege agere, & factionibus quam jure contendere malebant.

§. II. Ita Henricus IV. in Gallia omnium judicio primus Princeps sanguinis & præ patruo suo legitimus successor Henrici III. etiam vivo eo, habitus; at mortuo, propter religionem repulsus, & pluribus annis ipsi ideo rebellatum fuit, nec ante desitum, quam Rex compulsus esset sacra sua deserere. Hoc quidem illi, cum id ipsi agerent, summam pietatem quin sacrum bel-



lum dixere; cum alii agunt, idque contra ipsos, summum nefas & bellum impium dicunt; & sacrosancta atque immota divinæ voluntatis oracula à nutu & lubidine sua suspendunt mortales. Ast, longè aliter

Auditur ILLO Gnosius Minos Foro:

Quod quisque fecit patitur: autorem scelus

Repetit: suoque premitur exemplo nocens.

§. III. Et hoc quidem jus Nepotis obtinere quoque censemus, etsi is natus sit ex avi filio naturali, cujus matrem demum ipso mortuo Avus duxit; matrimonium enim avi, quodocunque contractum, retrotrahitur ad tempus conceptionis, videturque ipse filius naturalis conceptus natusque ex legitimo conjugio, & semper retro legitimus fuisse. *l. 10. in fin. C. de Nat. lib. Quin & nepos ipse rectè per has nuptias legitimari dicitur; quia non est nepos legitimus avo, etsi filius legitimus patri, adeoque & hoc sensu legitimari nequit, qui jam est legitimus; est itaque ille filius legitimus, at nepos naturalis. Covarruv. ad lib. 4. Decretal. part. 2. cap. 8. §. 2. n. 19. Fachin. lib. 3. cap. 56. Bocer. class. 1. disp. 10. n. 7.*

§. IV. Idemque erit, etsi alia intermedia uxor legitima avo fuerit, & ex ea legitimi filii supersint: ex eadem continuandi & jungendi momenta temporum fictione. Nec verum est, ex prima uxore legitima natis jus primogenituræ quæsitum esse; cum in suspenso id sit, quoad certum esse incipit matrem naturalium duci amplius non posse. Quod & sentiunt *Tiraq. de Primogen. quest. 34. n. 3.* ubi proluxa serie alios citat. *Gail. 2. Obs. 141. n. 4.*

§. V. Cæterum hæc ita obtinent in prædiis ac bonis, quæ

quæ Superiorem recognoscunt, atque adeò jure positivo reguntur. Cavendum autem ne id extendatur ad regna & Principatus liberos: quæ non nisi jure gentium utuntur: cum enim modi legitimandi & fictions quibus illi nituntur, sint inventa juris civilis, constat in regnorum & Principatuum liberorum causis id non obtinere. Jure gentium itaque verum est, quòd veritas non fictio attendatur in successionebus. *Chassan. de Consuet. Burg. tit. de Success. rubr. 8. §. 5. n. 14.*

§. VI. Porro legitimati per rescriptum Principis nepotes quoque succedunt avo, *Covarrub. d. 108. §. 2. n. 20.* non tamen in feudis, *2. F. 26. §. naturales.* nedum in regnis &c. & minimè omnium in jure primogenituræ ante patruos legitimè natos: neque enim conjunctio temporum in ea obtinet, nec retro intelliguntur esse legitimi, sed à die rescripti. Unde patet quàm longè illi distent à legitimatis per nuptias.

§. VII. Quod si verò gemini nati sint, & nesciatur quis prior editus fuerit, valde quidem dubitari potest, quis pro primogenito habendus sit? Sed hoc casu ipsos filios quidem necessariò concurrere in principatu & jure primogenituræ; at utroque mortuo eum solum è nepotibus succedere, qui primus ex alterutro natus est, pluribus probat *Magnif. Dn. Pres. ad Zacch. in Quest. Med. Leg. lib. 9. tit. 12. quest. 5. in princ. & qv. 6. in fin.*

§. VIII. In feudis quoque nepos una cum patruis avo jure repræsentationis succedit, etiam jure Saxon. *H. Pistor. Part. 2. quest. 43. num. 2. Dn. Struv. Syntag. Feud. cap. 9. thes. 6. n. 3.* Idemque est in fideicommissis familiæ. *Thesaur. Dec. Pedem. 65. Sand. lib. 4. tit. 5. def. 2. etsi variè distingvat Ant. Fab. C. lib. 6. tit. 22. def. 8. 10. 11.* Quin & à tutelis non putamus exclusos esse nepotes, concurrentes

30 *Secl. VI. De reliquis Successionibus Nepotum.*
rentes cum patruis, si cætera idonei sint. *arg. Nov. 118. cap. 5.* et si nunc de successione lineæ rectæ agamus.

§. IX. Denique in jure retractus an nepos cum patruis jure repræsentationis utatur, quæritur? Id negat Richt. *Decis. 76. n. 28.* & ita responsum à Dnn. Jctis Jenensibus refert. Nec displicet id Tiraqv. *de Retrait. lignag. §. 11. gl. 9.* Sed ille tamen contrarium consuetudine apud suos receptum esse testatur. *d. l.* Neq; sanè ratio pati videtur, ut alio ordine jus retractus quam jus successionis procedat, cum retractus gentilitius à jure successionis dependeat, & ideò gentilibus, eorumq; singulis detur, quia eorum potius jus succedendi est.

§. X. Ex tractatis hæc addimus CONSECTARIA :

1. Sub conditione: *si sine filiis deceserit*: continentur & nepotes; *Grasf. de fideic. qv. 36.*

2. Etiam nepotes ex filio naturali, per subsequens matrimonium (non per Rescriptum) legitimo nati: nisi aliud appareat, ut in præjudiciis *Thesaur. dec. 196. per tot. Surd. dec. 119. per tot.*


3. Sub conditione: *si sine filiis masculis*: non continentur nepotes ex filiabus. *Grasf. ib. qv. 35. num. 3.*


4. Si filios masculos quis instituat exclusis filiabus, an & neptes ex filiis exclusæ? Castrenf. *in l. 1. n. 9. C. de Cond. inf.* ait, omnes *Dd. Italia de hac questione consuluisse & se tam dubium fuisse, ut iterum requisitus respondere noluerit.* Pars neptes exclusas, pars admittas voluit. Aliter *Grasf. d. qv. 35. n. 4. 5.* Nulla pars vera videtur, sed ex *Secl. 2. & 3.* dicendum, si hereditas filio delata non fuit, neptes excluduntur, cum immediate avo heredes esse non possint præ filiabus: si fuit delata, non sunt exclusæ, quia alia hereditas est, qua filio non avo succedunt. Atque ea distinctio tam necessaria omnibus neglecta fuit.

5. Titio bannito cum filiis & nepotibus, non continetur nepos post avum conceptus *Chasfan. d. tit. rub. 7. §. 10. n. 9.*

6. Nec pœna Majestatis, nisi quoad successionem. *l. 5. C. Majest.*

F I N I S.





00 A 629-1

ULB Halle 3
002 912 155




V. 17

R. 10 ✓









DISPO
T...





Q. D. B. V. 70
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
**SUCCESSIONE
NEPOTUM,**

QVAM,
Ex DECRETO & AUTORITATE MAGNIFICI
RECTORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

RECTORIS FAMIGERATISSIMO,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDI-
CÆ ORDINARIO, & PROF. PRIM.

Antea
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALA-
TINI, ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA
HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT. & JURIS
GENT. P.P. ORDIN. MERITISSIMO,

Domino Mæcenate & Promotore suo summè devenerando,

PRO FACULTATE
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
Ac PRIVILEGIA DOCTORALIA
ritè ac Solemniter consequendi,
Publico Eruditorum Examine submittit

In Auditorio Rectorum

ANDREAS HENRICUS à MANDELSLO,

Bremenf. Saxo.

Ad D. XXVI. Junii, Anno Christi M. DC. XCVI.

Horis ante- & pomeridianis.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI